

DISPUTATIO MEDICA
DE

ANIMA, CAUSA
MORBORUM PROXIMA,

Quam

ARCHIATRO SUMMO ANNUENTE AUTHORI-
TATE & INDULTU

ILLUSTRIS AC GRATIOSISSIMI SENA-
TUS ASCLEPIADEI, IN FLORENTISSIMO PARITER
AC ANTIQVISSIMO, QVOD AD HIERAM
EST LYCEO

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI
atq; EXPERIENTISSIMI

DN. LUDOVICI FRIDE-
RICI JACOBI,


Med. Doct. Serenissimi Principis FRIDERICI Saxo-Gothani
Medici Ordinarii, Prof. Chym. Publ: Practici
Erfurt. celeberrimi & famigeratissimi
Publicæ Philiatrorum disquisitioni submittit,

AUTHOR & RESPONDENS

GEORGIUS ADAMUS *Slogau* /
LESNA-POLONUS.

Ad Diem 27. Junii (7.) Julij Anno M. DC. XCI.
In AUDITORIO Majori Superiori Horis consvetis.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS.





I. N. J.

PRÆFATIO.



Quantum Jurisperito prodest divinarum nosse vim legum : Tantum sanè imò plus nocebit Medico, ignorare veram cujusque Morbi causam proximam : Non dicam, quod in mediis eligendis ad hostem morbosum profligandum sæpissimè aberrare, verùm rarò aut nunquam finem suum impetrare feliciter poterit, nisi hâc instructus probè scientiâ.

Cum igitur tantum valeat in Arte Medicâ cuiq;

A 2

Mor-

Morbo suam assignare posse causam proximam, non invidebis B. Lector, quod hoc argumentum pertractare hâc in dissertatione susceperim; multum enim in hoc errasse hactenus Medicos, quò certius, eò magis dolendum est, Neminem hucusq; ferè exstitisse, qui investigandâ hâc in re, Medicinæ nostræ haud inutili, majoris sanè momenti, desudare voluerit. Excusabis proinde conamina nostra, opusque impar humeris nostris, non ex temerario quodam ausu, verum jussu svasuque PATRONI magni ad urnam usque colendi, impositum, cui reluctari ut difficile, sic impium fuisset. Si igitur non dedignatus fueris, celeri has pagellas percurrere oculo, in iisque nonnulla offenderis, quæ ab antiquorum sententiâ, aut aliorum Auctoritate recedere videbuntur, ex humanitate tuâ mitius judicans, nobis facilè largieris; LIBERUM ESSE UNICUIQUE PHILOSOPHARI. Delibare tamen saltem volui, ne obstaret argumenti prolixitas, rei que difficultas. Doctiores incitare volui, ut pergant in opere hoc prosequendo, animumque meum discendi cupidum ulterius magis magisque erudiant. Tu verò Lector Benevole

si humanus, in iudicio de his pagellis ferendo, li-
 mites humanitatis non transgressurus es, si superci-
 liosus & Zoilus, eadem fata, quæ aliorum magno-
 rum Ingeniorum scripta experiuntur, expe-
 ctant. Vale!

PROŒMIUM.

EXHIBENS ONOMATOLOGIAM.

UT ordine procedamus observamus (1.)
ὀνοματολογίαν (2.) *πραγματολογίαν*, illam
 quæ Nominis definitionem, hæc quæ rei
 Essentiam declarat, quemadmodum accu-
 ratiores Philosophi haud absque fructu do-
 cent. Neque enim res in disputationem veniunt, nisi
 per notiones; Ut ergò omnis dissertatio eò feliciter ab-
 solvatur, antequam rei natura explicetur, ratio prius
 danda est nominis impositi, secundum originem, syno-
 nymiam, variumque significandi modum, idque pro-
 pterea, quod homonymia potis est, totum alicujus rei
 sensum planè invertere, unde natus etiam Logicorum
 de Homonymia verissimus Canon:

Errorum genetrix est Æquivocatio semper.

Verùm etiam Lectoris animum à vero iudicandi tramite
 deflectit in erroneum, ut nonnunquam mentem Au-
 thoris vix, imò prorsus non assequi liceat. Sunt enim

Nomina nihil aliud, quam involucra quibus res conte-
guntur, quæ nisi his nudatæ omnem conspectum fugi-
unt. Philosophorum igitur legibus obsequiosus ut sim, me-
thodo hæcenus ab omnibus observatæ insistens antequam
rem aggrediar, de Nomine prius sollicitus ero.

TH. II.

Anima, si inventionem spectes, vox latina est, si de-
rivationem primitiva, nulli enim vocabulo incunabula
sua debet, nisi reluctantem sequi malueris Ciceronem,
Tusc. l. c. 8. ab Animo illam deducentem, eodem ferè
modo uti Domina à Dominus, Hera ab Herus, sic ani-
mam ab animo descendere probare conatur, quò autem
successu id tentet, bonone an malo? ulteriori Philolo-
gorum curæ submittimus; hoc tamen asserimus, eam di-
ctam, quod Corpus nostrum Naturâ suâ torpidum move-
at, idque animet.

TH. III.

HOMONYMIAM quod attinet, primariò :

- I. Spiritum, sæpius halitum & flatum significat.
- II. Sumitur pro aere, unde Virgil. Ecl. VI.

*Ille canebat uti magnum per inane coacta
Semina, Terrarumq; Animæq; marisq; fuissent,
Et liquidi simul Ignis.*

III. Pro ipsâ vitâ, unde Timoclis

Τὰ εγγυερόν ἐστὶ αἷμα καὶ ψυχὴ βροτέϊς.

Argentum sanguis est & Anima mortalibus.

IV. Rhetoricè nonnunquam pro toto Homine vid.

*Tacit. l. histor. c. 32. Vos autem Treveri & ceteræ
servientium Anima.*

V. Nobis h. l. sumitur pro Rectore nostri Corporis,
principio interno motivo, omniumq; actionum
causâ proximâ.

TH. IV.

Synonymiam si desideres, spectant huc Auctorum
variâ denominationes: Sic Platoni audit Ignis, Aristo-
teli Calor naturalis. Hippocrat. impetum faciens. Hel-
mont. Archæus. Aliis calidum innatum. Græc. *ψυχὴ* Germ.
die Seele.

Πραγματολογία.

Seu

TRACTATIO IPSA.

TH. I.

Volutâ nominis ratione, ad rem ipsam ac-
cedimus: priusquam autem causam mor-
borum proximam exponamus, necesse o-
mninò est, de sanitate quædam præmittere;
quâ enim benè cognitâ, facilè ipsa quoque
Morbi Natura, ejusq; causa proxima suapte spontè se mani-
festa-

festabunt: Contrariam quamvis Morbus sanitatis habeat rationem utriusque tamen idem est principium, formalitas autem diversa; id quod inferius patebit. *Insuper Contrariorum eadem est ratio, eaq̄, juxta se posita magis elucescunt*, teste Philosopho: Jure meritò igitur in Sanitatem ejusque causam proximam primò inquirimus, idque (1.) à prioritate Naturæ, quod ex descriptione sanitatis perspicuum reddetur, (2.) dignitatis, utpote quæ perfectionem aliquam dicit, Morbus verò imperfectiorem.

TH. II.

Notandum autem est omne Corpus Physicum duplex agnoscere principium, unum sc. materiale, alterum formale, hoc quod agit, illud quod patitur, *vid. Scalig. Exercitat. 307. §. 29 Materia est apta perfici. Forma actus perficere aptus*: Unde apud Physicos quoque hæc distinctio naturalis suos habet, quando principium aliud dicunt esse activum, aliud passivum, *vid. Stierius Tab. 2. Cap. 1. pag. 2.*

TH. III.

Possent quis thesin antecedentem aliasque plures consequentes tanquam inutiles & superfluas rejicere, idque ferè ex eâ ratione, quod nostra mens non fuerit hic Systema Physicum congerere, quò potissimum principiorum corporis naturalis tractatio pertineat; Verùm causam morborum proximam tradere, Nosque de non benè observatâ methodo in conscribenda hac nostra dis-

serta

ertatione accusare. Huic omninò respondendum cen-
 emus, Doctrinam de principiis Corporum naturalium Es-
 sentialibus tum quoad numerum, tum quoad Naturam
 iam, hic propterea adjectam esse, quia Animam, quam
 nicè causam morborum proximam agnoscimus, aliquod
 nobis principium constituere, affirmamus, unde dicen-
 um necessariò prius fuit, quid principium sit, ac quotu-
 lex, & quomodo prædicatum hoc Animæ nostræ com-
 etat.

TH. IV.

Numerum hunc principiorum binarium ad corpus na-
 urale constituendum sufficere, nec plura nec pauciora ad-
 mittenda esse, probamus ex ipsis principiorum conditioni-
 bus quas Philosophus declarat, *1. Physicor. c. 6. t. 42. quod ex
 his omnia sint*: Unde privationem à principiis Corporis
 naturalis excludimus, cum illa ad Corpus naturale, ne-
 ve ut materia neque ut Forma se habeat, multò minus
 ex illa aliquid efficiatur. *Quicquid igitur non omnia
 principii requisita habet, id ipsum non est principium Cor-
 poris naturalis*: Atqui Privatio non omnia principii requi-
 sita habet, Ergò Privatio non est principium corporis natu-
 ralis. Majoris ratio desumpta est, tum à requisitis prin-
 cipiorum, *datis à Philosoph. l. citat.* tum ab ipsa principii
 definitione, quod scilicet est id, ex quo aliquid fit. Minor
 probatione haud indiget, quippe satis evidens est, ex pri-
 vatione nihil effici. Et quamvis utut malè distingvantur,
 inter principia Corporis naturalis, quatenus est in fieri,

& in facto esse, nihil tamen exinde concludunt, multo minus ipsam numerum suum principiorum ternarium stabilire queunt. Corporis enim naturalis in fieri considerare principia, nihil aliud est, quam considerare principia separata, distincta adhuc, unionem tamen expectantia, quæ unio deinde horum duorum principiorum, unâ voce exprimitur, scilicet Compositum, quod non ingreditur ipsa privatio; unde etiam nomen principii respuit; bene tamen & rectius conceditur, illam se habere respectu principiorum, ut modum, per quem binarius hicce principiorum numerus ad unionem promovetur, sicque unum postea efficit Compositum. In facto esse autem considerare corporis naturalis principia nihil aliud implicat, nilque aliud dicit, quam instituere analysin, & dissolvere iterum hæc principia unita mentaliter tamen, considerantur enim tum non concretivè, seu ut unum compositum, sed abstractivè & separatim, ceu principia ex quibus compositum illud conflatum est, unde manifestò apparet quod omne principium Compositi Essentiam ingredi debeat, unde: *Quicquid non ingreditur Naturam & Essentiam Compositi (Corporis naturalis) illud etiam non est principium illius Compositi: (seu Corporis naturalis) Atque Privatio non ingreditur naturam & Essentiam Compositi (Corporis naturalis) Ergò etiam privatio non est principium Compositi (Corporis naturalis.)* Major ex jam dictis factis perspicua evadit. Minor conceditur, *vid. Stierius supra citat.* Cadit itaque & distinctio illa principiorum quæ aliud dicunt esse principium constitutivum, aliud transmutativum.

Duo hæc principia prout variè specificata sunt, materia sc. aliter atqve aliter figurata, Forma verò diversum (ratione subjectorum) Chaos ideale seu exemplar in se continens, secundum quod omnes functiones suas dirigit, Actionesqve perficit, jussu divini Numinis per omnipotens verbum FIAT, varias quoque Corporum naturalium species constituunt; Unde veterum tot intricatæ & variæ de Corporibus physicis sententiæ, distinctiones inutilis, imò Errores & figmenta innumera. Concludebant enim, quia principium Corporum motivum internum ob aliter à Creatore sapientissimo formata instrumenta, alios producit effectus, quod necessariò diversorum Corporum non una quoad Essentiam forma sit, sed multiplex; quæ argumentandi ratio fecunda multæ prolis Mater existit, ex quâ prodire tot novæ substantiæ, & Animæ facultates: Uti sunt, vegetativa in plantis, sensitiva in brutis, Rationalis in Homine, cui iterum alias minores adunxerunt, facultates operatrices quas dicunt, v. g. Nutritivam, πλαστικὴν, Locomotivam &c.

Hæc omnia prout nullum in re fundamentum habent, id quod facili negotio demonstrari potest, ita omnis difficultas tam in Arte nostrâ divinâ, quàm etiam scientia naturali exinde originem suam trahit, ut vix Argos quidam ex his tricis se explicare queat, veritatemque eruere, quæ tanquam in profundissimo Democriti puteo,

his immersa lucem hactenus effugit. Quâ ratione autem Anima in omnibus Corporibus una tam diversos effectus producat, paulò post declarabitur, ubi ad actiones Animæ perventuri. Hoc loco saltem id monebimus: Si Animæ vegetativa & sensitiva, sunt Facultates Animæ rationalis quæ in ordine ad has duas facultates se habet ut principium & causa, sequitur Animam hanc rationalem & in Brutis præsupponendam, quæ inimò & plantis, cum effectu de suâ testetur causa; siquidem ubi effectus manifestatur ibidem necessariò & causa latebit, quod autem juxta horum Auctorum sententiam absurdum, quippe Nemo eorum Animalibus Brutis rationem tribuit; Igitur Animæ vegetativa & sensitiva non erunt facultates Animæ rationalis.

TH. VII.

Ex dictis his fluit, Animam rationalem vulgò talem non esse principium vitæ, neque causam Morborum proximam, (1) ipsa enim nihil aliud est, quam determinata & specifica ratio (*quam ideam connatam, contentam in Cbao ideali, in prima Creatione à Creatore sapientissimo nobis indito dicimus*) secundum quam principium nostrum vitale actiones suas in intelligendo instituit. Si placet Veterum loquendi formulas retinere, hanc actionem Animæ rectè dixerimus, facultatem Animæ intelligendæ ex quo satis dilucidè apparet, quâ ratione Anima rationalis communiter sic dicta non possit esse principium vitalitatis, cum rationabilitas non sit ipsa Anima, sed est

ctus Animæ, ex actione secundum hanc ideam natura-
lem, profluens.

TH. IIX.

Denegatâ tali ideâ specificatâ animalibus brutis, a-
ctionem quoque hujusmodi in illis desiderare si quis au-
deret, ut vanum ejus foret desiderium, sic frustra effectum
similem ab illis expectabit. Quod autem Animâ eadem
quoad Essentiam, diversâ quoad determinationem nobis-
cum gaudeant, extra omne dubium est. *vid. Riverius,*
Institut. Medicar. l. 1. c. 2. p. 17. Exercent enim omnes a-
ctiones (liceat nobis cum Veteribus loqui) tum natura-
les, tum animales: Nutriuntur, crescunt, sentiunt, con-
servantque speciem propagando Individua. Motus &
interni & externi in iis deprehenduntur: Erit igitur &
idem principium in illis motivum, quod actiones suas,
secundum præscriptum tamen à Deo in primâ Creatione
exemplar peragit.

TH. IX.

Hoc principium motivum, non erit Anima rationa-
lis, quæ non est causa vitæ (2.) quod hæc ipsa animalibus
brutis denegetur, quibus tamen vitam concedimus: Si
verò Anima sic dicta rationalis, foret principium vitæ,
sequeretur aut solum hominem vivere, & præter Eum
nullum Ens vitâ pollere, aut reliqua Corpora viventia
hâc animâ rationali esse prædita, utrumque quod ab-
surdum.

TH. X.

Vitæ in præcedenti thesi mentionem fecimus; in hæc igitur explicandum veniet, quid per vitam intelligamus, & quâ ratione concludere queamus, OMNE CORPUS PHYSICUM VIVERE. *Helmont. de vitâ pag. m. 691.* Vitæ hanc nobis definitionem suppeditat; quod sit lumen & initium, quo res agit, quod agere iussa est. Ingeniosissimus *Wirdig* / in suâ Medicinâ Spirituum, *cap. XVII. de vita pag. m. 71.* Vitam consistere affirmat in radiatione Spirituum, unde quamdiu lumine radiant, animal vivere, quam primum cessat radiatio, cessare vitam asserit. Magis arridet vitæ descriptio, quam dedit *Clarissimus Etmüllerus* in suâ *Physiolog. Medic. thes. I.* ubi inquit: Vitam consistere in operationibus & motu, quas operationes & motus quamdiu Anima perficit, vivere dicimur.

TH. XI.

Cavendum autem est, ne terminum vitæ accipiamus, tanquam substantiam ab Anima distinctam, & reale quod in Corpore physico, siquidem periphrasticè saltem denominatio hæc actionibus Animæ competit, quas dum in Corpore peragi sentimus, vitam ei adhuc inesse colligimus: *Fernel. l. 5. p. 63.* Unde meritò rejiciendam censet *Veterum* sententiam *Etmüllerus*, quando vitam in calido consistere statuunt, quod apertè falsum, cum in piscibus & aliis aqvatilibus, nullus calor, neque per tactum, neque per thermometra, seu instrumenta calorem & frigora dimetientia, inveniri possit. *vid. Etmüllerus Institut. tb. 10*

Et quæ

Et quæ contra Calorem nativum & humidum radicale disputat Helmont, in Tractat. humidum radicale.

TH. XII.

Diximus hæcenus; Animam omnis Motus omnium Actionum unicè esse Causam proximam, & principium motivum: Materiam verò Naturâ minus aptam esse ad agendum, propterea in Corporibus physicis merè passivam esse, prout testatur *Riverius, Inst. Medic. l. 1. sect. 4. cap. 2 p. m. 16.* ubi expressis verbis fatetur; *At omnis actio per Spiritus exercetur, uti Galenus multis in locis affirmat.* Ulterius jam concludimus: Omne Corpus Physicum ex principio hoc materiali & formali conflatum esse, formæ autem principium omnes suas actiones instituere secundum chaos ideale (seu exemplar) ad quod Anima in agendo respiciat, unde in individuis ejusdem speciei naturaliter eadem Actiones observantur.

TH. XIII.

Præsupposito in thesi antecedenti, omne Corpus naturale constare ex materia & formâ. Quæstio non levis erit momenti à Curiosis hic moveri potest, Num scilicet Vita & in lapides, plantas, brevius, in quodcunque Corpus physicum cadat? Affirmantis ratio ab ipsa vitæ definitione, confirmatur. Si igitur ex Helmontianâ hoc assertum probare annitimur vitæ definitione, facilis erit Responsio. Siquidem, quicquid in se continet Lumen, quo agit, id quod agere jussum est, illud rectè dicitur vivere, Atqui

Atqui Lapides, Plantæ &c. in se continent lumen, quo agunt id, quod agere jussa sunt, Ergo Lapides & plantæ rectè dicuntur vivere. Major probatur sequentem in modum; Cui competit definitio vitæ, ei & definitum, Vita scilicet, competit, Atqui lapidibus, plantis &c. competit definitio vitæ, Ergo lapidibus, plantis &c. & definitum, Vita scilicet competit. Minor probatione non indiget, quia sensu dignosci potest: Cernimus enim Lapides, plantas, non solummodo crescere, verum etiam senescere, suumque terminum vitæ habere. Ex nostrâ à B. Etmüllerro petitâ definitione, si, vitam Corporibus naturalibus inesse defendere conamur, facillimo argumentum necti poterit negotio. In quocunque corpore operationes & motus perficiuntur ab Anima, illud corpus rectè dicitur vivere, Atqui in omni Corpore physico operationes & motus perficiuntur ab Animâ, Ergo omne Corpus physicum dicitur vivere. Totum argumentum per se clarum est, propterea non indiget ulteriori probatione. Hoc tamen adjiciendum est, studio nos in propositione majori addidisse ab Anima, ut omnem homonymiam simul removeamus, utpote in Corpore artificiali etiam perficiuntur operationes & motus, verum non à formâ, seu principio interno, potius Motore externo, quam differentiam probè annotavit sæpè laudatus Etmüllerus in *Physiolog. medic. lib. 1.* Benè igitur & perquam doctè doctissimus *Wirdig* concludit, Aerem ægrotare, cui sententiæ & Nos subscribimus, dicentes: Non solum Aerem, verum omne Corpus naturale seu physicum, *crescere, senescere sanum esse, & ægrotare.*

TH. XIV.

Satis hucusque expositum est, Animam rationalem non esse principium Vitæ, ex adductis Negationis nostræ fundamentis validissimis. Jam probandum Nobis incumbit, quale Ergò statuendum in Corporibus naturalibus principium, & sub quo Nomine illud apprehendendum.

TH. XV.

Existere in nobis Spiritum, qui Rector Corporis nostri, Causa Actionum in nobis tum naturalium tum præternaturalium existit, cujus ope Machina naturalis ad nutum quoque movetur, fabricata ad varias obeundas functiones, qui dubitat, negat se moveri, sentire, imò vivere. Nullum enim Corpus per se actuari potest, nisi accedat principium aliquod movens, sive illud sit internum, sive sit externum, uti in machinis artificialibus apparet.

TH. XVI.

Hoc principium motivum internum, (Spiritum nunc in nobis existentem) dicim⁹ Animam, quam omnibus Corporibus naturalibus à Deo in prima Creatione inditam affirmamus, in uno tamen ad majora determinatam quam altero, pro causa scilicet finali, ad quam sapientissimus Rerum Conditor cuncta producenda mensuravit. Hæc verò cum nobis incognita sit, (quippe soli DEO rerum fines perspecti sunt) exinde etiam scientia nostra in naturalibus, mutila, obscura & inadæquata est.

Animam hanc, si cui placet Spiritum vocare insitum, à vero non aberrabit, quippe describimus eam quod sit: *Substantia Spirituosa, simplex, luminosa, in primâ Creatione à Sapientissimo rerum Naturalium Architecto Corporibus insita, ad varias, secundum Chaos ideale, (seu exemplar) tempus & mensuram, per certa Organa, pro fine à summo Rerum Conditore intento, actiones obeundas.*

TH. XIVII.

Animam insuper divinæ Naturæ pertinaciter nonnulli affirmant, juxta Poetam:

Ignæus illis vigor & cœlestis origo.

Alii ex elementis productam judicant. Verùm divinæ eam Naturæ non esse, evincit ejus, (solo excepto Homine) in Corporibus naturalibus interitus, non enim quia est Creatura, quæ omnis finita, suâ Natura immortalis est Anima sed mortalis & corruptibilis: cœlestem tamen & divinam eam nominari posse quoad originem & causam Creatricem seu efficientem lubenter concedimus, & sic omnia quæ modo cunque creata sunt, cœlestia & divina vocantur, à Deo enim omnis in esse dependet Creatura. In Homine tamen Anima immortalis facta est propter determinationem; ex solâ Divini Numinis voluntate, unde etiam Homo conditus ad imaginem Dei legitur. Genes. 1.

TH. XIX.

Anima, prout variis Corporibus, diversis organo prædi-

præditis, insita existit, (in quovis autem Corpore aliud chaos ideale reperit) diversas quoque functiones perficit, quas operationes & motus quam diu peragit, Corpus vivere dicitur. Simul verò atque eadem cessant, mortuum vocatur, quod si perversè & vitiosè, corpora ægrotant.

TH. XX.

Chaos illud ideale in Corporibus contentum, loco regulæ est Animæ nostræ, secundum quam omnes actiones suas dirigit. Quid autem ideæ illæ sint, difficilis est disquisitio, à priori enim non sunt cognitæ, nisi lucem cum aliis eas nuncupare velimus: Earundem tamen origo est à prima Creatione, ubi Deus per omnipotens suum verbum Fiat cuivis speciei diversas imprescit ideas, secundum quas Spiritus unicus in diversis partibus tam ordinatè tamque distinctè actiones suas instituit, quas nunquam mutat, nisi interveniente aliâ peregrinâ Ideâ. Ideæ autem hæ cuivis Corpori propriæ, constituunt in relatione Corporis ad alia corpora differentiam specificam, unde tot diversæ species in Natura reperiuntur, ob solum diversum Chaos ideale, quod sibi impressum tenent, quodque in operando dirigit Architectum cujuslibet Corporis naturalis, ut sibi exstruat conveniens domicilium & congruentia instrumenta, quibus mediantibus actiones suas postmodum exercere possit. De ideis qui plura legere desiderat, consulat Platon, Helmont. & Marc. Marci à Chron-land/ qui ipsi sufficienter respondebunt.

TH. XXI.

Quam diu igitur Anima in exercendo Motus & operationes, seminales evolvit ideas, tam diu in Corpore Sanitas observatur, & subjectum naturaliter se habere dicitur, nisi manifesta Organi cujusdam adsit depravatio, qua quoque in causa occasionali esse potest, quo minus Spiritus officio suo ritè fungatur.

TH. XXII.

Ex his elucet differentia inter sanitatem & vitam. Hæc enim in illis subjectis adest, in quo actiones perficiuntur, sive benè sive perversè, unde etiam ægroti vivunt. Illa autem ubi motus fiunt secundum ideas seminales seu connatas, à quibus Corpus benè vivere, & sanum prædicatur. Actiones igitur Animæ in Corpore Vitam, bonæ verò, quæ dicuntur naturales, sanitatem, vitiosæ morbum constituunt.

TH. XXIII.

Sanitas est Ens complexum, quia non in una sed multis Animæ Actionibus consistit, proinde ex Numerorum est, quæ definiri nequeunt; delineatur tamen sequentem in modum. Est Actio Animæ secundum systema idearum naturale, per instrumenta integra in corpore manifestata.

TH. XXIV.

Genus seu rationem formalem dicimus esse, Actionem

nem Animæ secundum systema idearum naturale, contra
 alios, qui sanitatem per potentiam definiunt, motos au-
 thoritate Galeni. *l. de different. morb. c. 2.* ubi ait: Sa-
 num esse non est operari, seu agere, sed posse agere: rati-
 onem quoque addunt, quod alias dormientes aliove mo-
 do in quibusdam Actionibus naturalibus feriantes sani
 non essent. Quod ad Authoritatem Galeni, sciendum,
 eam in tantum valere, in quantum cum Veritate conve-
 nit. In Medicina enim argumenta ab Authoritate de-
 sumpta minus attenduntur, nisi Experientiam simul habe-
 ant annexam: duo duntaxat crura, quibus ceu fulcris
 innititur, Ars habet Medica, alterum Experientiam Ra-
 tionem alterum, tertium non agnoscit. Rationem vero
 adductam Auctor contra seipsum posuit, quippe & somnus
 naturalis est Animæ functio, quæ si non ritè peragitur, in-
 licium est Corpus langvescere. Insuper Natura amans est
 ordinis, unde non omnes ideæ simul evolvuntur, sed suc-
 cessivè, propterea etiam Animam in Corporibus secun-
 dum tempus & mensuram agere diximus.

TH. XXV.

Notandum autem quod, si fanitas consistit in poten-
 tia ad agendum, etiam ægrotos esse sanos, quod tamen
 absurdum, cum in his non negetur talis potentia, quæ e-
 nim si non adesset, nunquam restitutio Sanitatis ulla in il-
 lis speranda foret.

TH. XXVI.

Addidi in definitione, per instrumenta integra in

Corpore manifestata. Anima enim non immediatè agit, sed mediatè, mediantibus sc. organis, quæ si non habeant se naturaliter, Actiones Animæ impediunt, eamq; determinant, ut præternaturaliter agat, unde MORBUS.

TH. XXVII.

Contrariam Sanitatis Morbum habere rationem, supra docuimus, propterea ejus hanc damus descriptionem. Morbus est Actio Animæ secundum ideam præternaturalem, eamqve aut hæreditariam, imaginativam, aut aliam quamcunqve peregrinam, organorum vitio manifestata, ad interitum totius Compositi excula.

TH. XXVIII.

Ex quibus statim annotamus, secundum hanc variam idearum speciem, ad contrarias Actiones Animam determinari, propter seminalium idearum obliterationem. Hinc morbi quatenus pro causa habent Animam perverse agentem, dicuntur Archeales, qui prout vel à Patre & Antecessoribus nobis communicantur, vel ab ipso Spiritu fabricantur, duplices sunt: Hæreditarii & acquisiti.

TH. XXIX.

Ut autem perspicui simus res ab initio deducenda videtur, à prima sc. Creatione; Non enim Morbus & Mors

Mors à Deo creabantur, nisi permissivè, uti Helmont. annotat. Anima siquidem nostra ab initio Sancta, pura, absque omni labe erat, nullis peregrinis & infestis ideis obnoxia. Postquam autem Peccator legem transgrediendo violasset, Animam omnibus periculis spontè subjecit, & quibusvis ideis nocivis exposuit; quæ commisso primo peccato, statim maledictionis vim in se sentiens, exhorruit, unde prima Terroris & Timoris in Adamo origo.

TH. XXX.

Hæc Terroris idea ut peregrina sic noxia valdè, seminalis in Adamo facta, per generationem omnibus mortalibus communicata, naturalis quoque & fixa in nobis fit, quæ tamen citius non evolvitur ac idea huic similis ab extra advenit, quæ Animam determinat ad contrariè agendum, unde quemadmodum naturaliter, Anima sui domicilii integritatem & conservationem intendit, sic præternaturaliter mota illud destruit.

TH. XXXI.

Ideæ hæc prout vario modo in nos transplantari queunt, ita diversas morborum species procreant. Sic aliæ in Chao ideali Parentum & Antecessorum concentratæ, multiplicatæ in posteris hæreditarios morbos cudunt, specialiori tamen significato & strictiori quam Mors & Morbus ab Adamo in nos derivati dicuntur.

TH. XXXII.

Alia ab ipsa Anima fiunt, prout materiale sc. objectum pro idea sua naturali nobis tamen infestâ, Spiritum nostrum determinat, ut inde similem sibi generet, secundum quam omnes Actiones suas exercet, unde Morbi acquisiti. Sic e.g. Canis rabidus, qui ideam furibundam in se habet, morsu suo hominem, ideam suam ipsi communicans, similiter reddit rabidum, ut non tantum in Canem se mutatum existimet, verum omnes Canum Actiones imitetur, sed præterea in Urina talium ægrotorum Catulorum simulacra appareant, propter ideas scilicet Canis seminales in saliva ejus sigillatas & per morsum in Corpus humanum traductas, quæ ideæ confusæ in Corpore suo tempore evolutæ Archeum seu Spiritum insitum ad eum determinant, ut homines tantum non in Canes mutati appareant, prætereaq; Canum Corpuscula secundum ideas istas in lotio formentur, hucusque Etmüllerus.


TH. XXXIII.

Ideæ hæ quocunque modo in Nobis genitæ, quò magis fixantur atqve concentrantur, eò magis perniciosæ sunt, & morbum ferè incurabilem reddunt, donec tandem, obliterated omnibus naturalibus ideis, quæ facilè ab Anima, peregrinam in operando ideam evolventem, negliguntur, cessatio omnium in Corpore actionum naturalium contingat, & Mors eveniat.

TH. XXXIV.

Idea varia & multiplices sunt: Sic dantur idea Furoris, metus, gaudii, Horroris, unde varia Morborum species emergunt, quas tamen hic explicare nostri non est instituti, spectant enim hæc ad Pathologiam, ubi de Morbis eorum differentiis & signis tum Diagnosticis tum Prognosticis agitur. Hoc tamen adjiciendum adhuc est, differentiam Morborum non ab ideis pendere, verum ab Actionibus Animæ secundum has ideas desumendam esse. Sufficiet igitur paucis his pagellis, quibus prolixiores esse non convenit tradidisse rationem, quare Anima à nobis Causa, tum Sanitatis tum Morborum habeatur proxima. Restant equidem nonnullæ etiam quæstiones curiosæ, ex præsuppositis hisce promanantes, quas tamen hic addere, Exercitium hoc extemporaneum properante Calamo conscriptum, prohibet, Eas tamen commodiori occasione promptè Nos communicaturos, spondemus.

DEO LAUS HONOR & GLORIA:



PRÆNOBILIS ac CLARISSIME

DN. RESPONDENS.

Medicinam commodè lapidem dici posse, quem neque
 inconcussum omittere, sed perpetuo moliri decet, quo
 vastum hoc opus, durum intellectu, facilius, levius de-
 tur, occlusa interiora magis patefiant, & veritas principio-
 rum indies magis magisq; resplendescat hætenus obvoluta.
 Mibi quidam & Sanioribus plerisq; videtur. Quid, quæso
 Medico leviter tincto laudabilius esse poterit, quam si statim
 veritatem, in puteo Democriti delitescentem, principiorum
 tam brevi temporis spatio propalare & recludere posset.
 aliisq; hunc degastandam offerre, quam multi non nisi sum-
 mis cum laboribus, multis lucubrationibus graviq; & con-
 tinuo molimine, hujusq; Lapidis durissimi concussionem ob-
 tinere non potuerant? In hujus duritiem offendentes vitæ
 durabiliorem, intactum reliquere quam plurimi, quibus
 aliorum Cantilenam de viam à justo tramite modulari ma-
 gis placuit quam ulterius moliri. Hanc quoq; duritiem
 reddidère graviorem Authorum sententiæ in diversas par-
 tes distracta, in quibus alter alterius arguit veritatis in-
 scitiam sibi ipsi ignara. Unde Tironi nisi Duce Achate vi-
 hujus ingressus & egressus patuit, imò talis nisi Lynceus a
 hujus duritiè se extricari & liberari vix potis sine magni
 offendiculo fuit. Sed quo durior hætenus fuit visus, eo quo-
 que magis intactus & inconcussus habetur quotidie molien-
 dus, ut levior, Diaphanior multisq; ab involucris evolutu
 reveletur, quo fructus de se promat laboribus exantlati
 digno

dignos. Quod quoque à Te perpetratum sentio Nobiliss. Dn. Logan/ qui Specimine hoc ingenio tuo non indigno, abunde patefacis, hucusque te molitum esse hunc Lapidem ejusque ostendis celeberrimos fructus & quidem tales, qui quoque tuis humeris ferendo impares ab invidis videri possent. In quo accurate depromis causam Sanitatis & Morborum proximam, in qua volvenda & evolventa tanquam gravissimo molimine magni Viri jamdudum fere frustra insudarunt. Licet & tibi non in omnibus hac appareat. Laudo interim conatum tuum, imò laudo te in hoc Lapide duro volvendo & arduo interritum. Ansam dabis aliis duntaxat quamplurimis ulterius volvendi & ventilandi & à te, uti hactenus mecum diligenter, ita imposterum feliciter uberiusque ventilatum iri spero. Id quod opto & à te desidero, quo brevi tempore fructus hujus Lapidis summi frequenter tali & politi in curatione omnium morborum sentias felicissimos. Sic brevi Tibi dabit Apollo noster præmia digna labore. Vale

PRÆSES.

Τὴν ψυχὴν δύναις τῶν νόσων αἰτίους εἶσθαι
Τοὶ θεοῖσιν δὲ ἄρ' αὐτοῖσι Σοῦσκόπον!

Cum jam Pœoniam scandis LOGANE Cathedram,
Gratulor hos ausus! Præmia Apollo dabit.

Hoc
Nobilissimo Dn. Respondenti, Amico estimatissimo festinans adposuit

G. H. H. E. SS. T. C.

D 2

Esse

Esse Facultatis cujus velit alter & alter,
 Prae caeteris insigniter
 Augustum Docti nomen habere cupit.

Artibus ingenuis Sophicisq; vacasse iudabit,
 Ne semidoctus audiat:

Et tumidus nimium qui gerit hunc Titulum.

Hoc TIBI dum notum, calcasti fana Stagira,
 Junctis novem sororibus,
 Primaq; laus studiis inde petita Tuis.

Injecit Medicina manum, LOGANE, novamq;
 Industriae dignissimam
 Materiem, fama sufficit illa Tua.

Haec Anima offertur morborum causa propinqua.
 Res infrequens & ponderis
 Differitur Sophicè, differitur Medicè.

Hospitis hinc studiumq; laudabitur altè
 Et invidis furentibus,
 Etsi Delator scripserit in Patriam.

Rector omnipotens, qui nos regit atq; tuetur,
 Porro secundet res Tuas!
 Exoptata feras digna brabea! Vale.

Erudito Domino Respondenti, debitæ obser-
 vantiae ergo hæc adjicere voluerunt
 Ejusdem

COMMENSALES